

surrectio traditur Christi, debemus Pascha tenere. Orientales vero, sicut historia Eusebii Cesariensis^{a)} narrat, quocumque die mense Martio 14. luna evenisset^{b)}, Pascha celebrabant. In Italia autem alii plenos 40 dies ieiunabant, alii 20, alii dicebant 7 diebus^{c)}, in quibus mundus concluditur, sibi sufficere^{d)}; alii, quia Dominus 40 diebus ieiunasset, illi 40 horas tenere deberent.

Cum hec ergo talis diversa esset observatio, meror erat sacerdotum, quod, ubi erat una fides, dissonarent ieiunia; hoc elegit^{e)} tunc Victor Romane urbis episcopus, ut daret auctoritatem ad Theophilum Cessariensem^{f)} Palestine provincie episcopum, quia tunc non Hierosolima^{g)} metropolis^{h)} dicebatur, ut inde paschalisⁱ⁾ ordinatio proveniret, ubi Christus fuisset in corpore versatus. Accepta itaque auctoritate Theophilus episcopus videns tantum^{j)} sibi^{j)} opus fuisse iniunctum, quod in mundi observationem transmitteretur, non solum sue proprie, sed et de vicinis provinciis omnes episcopos et sapientes viros ad concilium evocavit. Cumque grandis illa multitudo sacerdotum vel sapientium virorum in omnibus scripturis spiritalibus erudita in unum fuisset collecta, protulit^{k)} episcopus Theophilus auctoritatem ad se directam, et quid sibi operis esset iniunctum, patefecit. Tunc omnes dixerunt: Primum nobis inquirendum est, quomodo in principio mundus fuerit factus; et cum hoc fuerit diligentius investigatum, tunc poterit ex eo paschalis ordinatio salubriter provenire. Dixerunt ergo: Quem diem 1. credimus creatum in mundo? Responderunt: Dominicum. At illi dixerunt: Quomodo potest probari, quod 1. dominicus dies factus sit? ^{l)} Responderunt: Dicente scriptura. Et factum est vespere et mane dies 1., inde 2., 3., 4., 5., 6. et ^{m)} 7., in quo requievit Deus ab omnibus operibus suis, quem diem sabbatum appellavit. Cum ergo novissimumⁿ⁾ sit sabbatum, quis potest esse 1., nisi dominicus? Dixerunt: Sic est, et aliter non est. Ecce de die probastis. De tempore, quid vobis videtur? Quatuor enim tempora in anno accipiuntur: Ver, estas, autumnus et hiems. Quod tempus credimus primum in mundo factum? Responderunt: Ver. At illi: Probate, quod dicitis. Responderunt: Dicente scriptura: Germinet terra herbam feni secundum genus suum et lignum fructiferum faciens in se fructum. Hec enim verno tempore videmus fieri. Dixerunt: Verum est. Et adiecerunt: Quoniam tribus mensibus vernum tempus accipitur, quo loco mundi caput esse credimus, in

a) Cessariensis V. b) eveniset V. c) dies L. d) sufficire V. e) eligit V. f) Cessariensem V. g) Ierosolima L. h) metropolis V. i) paschalis V. j) tantum sibi: sibi tantum L. k) protulit V. l) fehlt L. m) fehlt L. n) novissimus L.